

implorat. Tum admonitus ab Antigona, adventare senes, ubi sederet speculatos, abdi se in lucum iubet, usque dum audierit, quid illi dicturi essent.

V. 117—231. (*πάροδος*.) Intrat orchestram chorus senum Atticorum. Qui cum audivissent, ausum esse aliquem senem nemus sanctissimum dearum horrendarum intrare, summam hominis impudentiam vehementissime indignati, curiosissime totum nemus perlustrant, nec tamen, ubi versetur, reperire possunt. Tum vero ipse in conspectum prodit Oedipus obtestaturque chorum, ut non scelestum se hominem esse putet, sed miserrimum; alioquin enim non alienorum ope oculorum eum, in quem delatus sit, portum se petiturum fuisse, ut parva beneficia qui homo magnus esset acciperet. Perculsus chorus et conspectu et oratione Oedipi misericordiaeque quadam affectus non iam recusat audire eum, si quid praeterea dicendum putaret, sed ea condicione, ut primum omnium relicta sede sanctissima in eum abiret locum, quem occupare fas esset. Ambigit primum Oedipus, quid faciat; verum cum et ab Antigona admonitus esset, ut terrae civibus obtemperaret, et a choro fidem accepisset, tutum se ab omni fore iniuria, si loco sacro egressus esset, in eam, quae monstratur, sedem abduci ab Antigona se patitur. Abductus autem postquam choro sciscitanti, quis esset, aegre respondere coepit, Oedipum se esse, filium Laii, ilico ut homo impurus cum Antigona decedere e civitate iubetur. Frustra chorus de fide data ab Oedipo admonetur; negat ille, si quis deceptus alteri fidem dederit, ei fidem servandam esse.

V. 232—249. (Carmen ἀπὸ σκηνῆς cantatum.) Tum Antigona verbis blandissimis pro patre deprecatur et clementiam misericordiamque chori suppliciter implorat.

V. 250—505. (*ἐπεισόδιον α'*.) Respondet chorus, quamvis ipsius pariter atque patris sortem misereatur, tamen deorum metu se cogi, ut in sententia sua perseveret. Contra quae Oedipus, Quid prodest, inquit, florere Athenas laude religionis, nisi ea factis probetur? Tantum autem abest, ut eam vos mihi probaritis, ut perfidiae et levitatis accusandi sitis. Postquam enim ea condicione me supplicem ex loco sacro abire iussistis, ut in fidem vestram reciperer, nunc ex civitate vestra expellitis; id autem ut faciatis, non scelere meo, sed nomine commovemini inanique rumore de me disperso. Neque enim sum scelestus. Primum enim quae feci, feci inscius; deinde non ultro, sed laccessitus; contra quae passus sum, a scientibus passus sum. Itaque per deos vos obtestor, ut quod promisistis auxilium mihi praestetis, neve religionis causa religionem violetis, sic existimantes, deos et pios tueri et castigare impios. Ergo ne laudi civitatis vestrae officiatis, supplicem me tuemini, neve deformitas